PROGRAMM

des

Königlichen

Gymnasiums zu Dresden-Neustadt

womit

zu den öffentlichen Prüfungen der Classen

am 15. und 16. März

und

zu der feierlichen Entlassung der Abiturienten

am 19. März Vormittags 10 Uhr

im Namen des Lehrercollegiums

ergebenst einladet

Rector Professor Dr. Hugo Jlberg,

Königl. Sächs. Schulrath und Ritter des Königl. Sächs. Verdienstordens.

I.

Inhalt:

Dresden,

Druck von B. G. Teubner.

1875.

I.

De quarti libri Tibulliani elegiis inprimisque de quinta disputatio.

Gratulandi natalesque dies celebrandi studiosissimus fuisse uidetur Tibullus, qualis quidem nunc legitur. Quattuor enim carmina eius, hoc est multa in tantulo omnium numero, in uiginti elegiis et una, uersantur in hoc argumento. Diuersa tamen eorum condicio, cum duo (I, 7 et II, 2) ueri officii factaeque gratulationis exstent monumenta, fictae et commenticiae exempla sint altera (IV, 5 et 6). Atque haec quidem, quae ad Sulpiciae et Cerinthi amores pertinent, cum dubitationem aliquam mihi mouerint, tu uelim, si quis forte hunc meum libellum inspexeris, diligentius nunc mecum consideres. Quod ut recte instituatur, non pauca praemittenda uidentur de toto carminum Sulpiciae nomine insignium numero.

Maximis laudibus efferri solent illorum elegidiorum ea, quae Tibulli uulgo habentur (IV, 2—7). Politissimi, inquiunt, et elegantissimi uersus; mirifica inuentionis et compositionis ars; summa sensus ueritas et simplicitas; omnia uenusta, mollia, mellita, denique si non praestantiora quam quaecumque alia composuit Tibullus, at certe optimis paria. Haec inflatis buccis laudatores, Gruppius, Prienius, Teuffelius*. Ac ne quicquam reliqui faciant, illud etiam deprehendisse sibi uidentur, singulari quodam artificio haec carmina ita esse comparata, ut et Sulpiciae elegiis (IV, 8—12) accommodata respondeant et ipsa corpus efficiant omnibus suis partibus absolutum, aequalibus membris constructum, interiore quasi uinculo membrorum connexum. Ergo si quid ademeris, mutilus restabit truncus? Atqui ademerunt septimum carmen (T a n d e m u e n i t a m o r—) Rossbachius et L. Müllerus, attribuerunt Sulpiciae. Quod quam recte fecerint, facile est perspectu Vide enim ipsam breuitatem carminis a solita ceterorum longitudine multum distantem; uide rem, quae tractatur, uictoriam puellae famaeque contemptionem non uariis modis explicatam et amplificatam ex more Tibulli, non uariis quasi coloribus depictam et illustratam, sed uno tenore, unius sententiae breuissima expositione uehementissimo animi motu et ardore peractam; uide porro contortam primi distichi conformationem uerborum, quantum ea abhorreat a simplici et perspicuo dicendi genere Tibulliano; uide negationem u. 8 cum neglegentia quadam repetitam (n e n e m o pro n e q u i s); uide denique Cythereae nomen ideo suspectum, quod haec dea saepissime inuocata a Tibullo nunquam alio nomine appellatur nisi Veneris. Quid plura? Agnosces aliam hic manum, eandem, quae proxima scripsit. At dilaceratur hoc modo uenustum illud corpus, quod Gruppiani admirantur, absciditur ipsum caput. Absciditur, sed unum e duobus; biceps enim monstrum spectandum illi nobis proposuerunt. Nam adiungendam esse dicunt huic

* Gruppe „die römische Elegie" I, 25 ff. — Prien „die symmetrische Anlage der Sulpicia-Elegieen des Tibullus" in Fleckeisen Jahrbücher 1861. 2. — Teuffel „Tibullus" in Studien und Charakteristiken zur griech. und röm. Literaturgeschichte 344 ff.

elegiae secundam secundi libri, Cornuto cum recenti uxore natalicia suá agenti inscriptam. Posci eam hoc loco; nam cum illicito et libidinoso amori indulsisset Sulpicia, nisi inceptos hymenaeos sequeretur legitimum conubium, flagitiosam rem fore stuprosamque et indignam, quae ab honesto poeta celebraretur. Audite uos, quicumque amoris praeconium suscepistis, quid sequentes uerecundiae et pudicitiae speciem seruare possitis. Praedicate Veneris gaudia; quamuis delicata, quamuis lasciua sint poemata uestra, si in iustum peccantium coniugium exierint, omnia excusata, omnia sancta erunt. Quamquam uereor ne uos contra, non naturalem et uenereum amorem in poematis, sed id demum inhonesti aliquid habere statuatis, si quis praeceptas matrimonii uoluptates et sponsale quoddam stuprum celebrauerit. Quod si recte statueritis, ut facitis, aut ad coniugium, quale II, 2 proponitur, aut ad furtiuum concubitum, qui IV, 7 indicatur, rem a Tibullo deduci potuisse sequatur, ad utrumque non potuisse. Optione igitur data eligendi, utra amatoriae fabulae clausula uti malit, cum aliis de causis, quas supra exposuimus, libri IV carmen 7 a Tibullianis secernendum uideatur, non dubito, quin Gruppius alteram clausulam (II, 2) praelaturus eaque una satisfieri sibi confessurus sit. Ego uero, etiamsi epistolam illam die natali ad Cornutum datam huc referri posse concedam, tamen illud omnino non concedo, nisi aut haec aut simile aliquid de Sulpicia et Cerintho tandem coniunctis adiectum sit, perfectum non esse rem desiderarique aliquid post sextam libri quarti elegiam. Anicularum hoc est cupidines amantium et curas describentem poetam ferre non posse, nisi copulatam post tot discrimina rerum cum suo quamque in medium producat laetamque prolis spem auguretur. Aniculae gaudeant, quod omnis scrupulus sibi a Gruppio exemptus sit omnisque metus, ne frustra desiderio flagrauerit Sulpicia, ut eaedem querentur, quod Deliam, Nemesim, Lesbiam, Cynthiam, Corinnam, totum Horatianarum puellarum gregem non uideant ad certum laetumque amorum finem perductas nec in tutum quendam quasi portum receptas: nos iure, opinor, in eo acquiescemus, quod quantum puellae amore incensae animus spe metuque pendulus uersetur et agitetur, ex naturae simul poeticaeque artis legibus uerbis expressum uidemus, nec postulabimus, ut lyricus poeta scenici uicem dubitationis de huius amoris euentu nodum expediat.

Dixi de extremis totius operis, quod Gruppius reperisse sibi uidetur, partibus, quam non essent necessariae; nunc paucis demonstrare conabor ne medium quidem opus singulari et artificiosa structura compositum esse. Ac totum quidem artificium eo redire uidetur, quod alternis carminibus poeta et Sulpicia sunt loquentes, 2, 4, 6 ille, haec 3, 5, et quod bis deinceps de periculosa re sermo est, de uenatione (3) et de morbo (4), bis de laeta, de die natali (5 et 6). Sed nullius fere momenti hanc aequalitatem et conuenientiam partium esse existimo, quod siue eieceris quamlibet partem, reliquae aptissime inter se coeant, siue mutaris solitum ordinem, nihil appareat perturbationis. Fac enim perisse primum carmen (Sulpicia est tibi culta —). Dixerit quispiam: praeclare fecit poeta, quod statim in medias res nos induxit; praeclare, quod nomen puellae non edidit, ne occultas eius cupiditates populo prodidisse uideretur. Aut remoueamus alteram elegiam (Parce meo iuueni —): quid? quae modo omni corporis pulchritudine et uenustate affluens prodiit, cum eadem nunc morbo confecta, macie et pallore deformis iaceat, nonne contrarias res habemus incredibili arte ita compositas, ut grauissime animis commoueamur? Non hoc quoque consulto factum esse uidetur, quod nullum carmen non a dei cuiusdam ueneratione initium capiat, a Marte primum, ab Apolline alterum, reliqua a Genio et Junone? Et ut tertium accedat exemplum, si rursus abesset haec de aegrotante Sulpicia querela (Huc ades et tenerae —), equidem non dubito, quin Gruppius unice laudandum duceret id poetae

consilium, quod num mutuo amore arderet Cerinthus, nullo loco aperiret; nam sic demum fieri, ut quas postremis carminibus legeremus dubitationes et suspiciones puellae, eae iustae nobis esse uiderentur ac miseratione dignae. Fortasse etiam illud perspiceret uir doctissimus prudentia uere imperatoria in media quasi acie Sulpiciam positam esse, cum c. 2 et 3 ipsa rem gereret, cornua (c. 1 et 4) tuenda sibi sumpsisse poetam. Iam uero aliter instruamus aciem, mutemus carminum loca; antecedat sextum (Natalis Iuno —) quinto (Qui mihi te Cerinthe —): quis tandem quibus causis confusum quicquam aut male collocatum esse contenderit? Quis eodem modo reliqua poematia misceri posse negarit, excepto uno illo, quod est de Martiis calendis, quod non sine damno rei alium in locum transferatur? Nisi forte ullum rerum processum, ullum posterioris temporis aut mutatae amantium sortis et condicionis signum in eo conspici dicemus, quod Sulpicia non prius aegrotet quam Cerinthus uenatum eat, aut quod Sulpiciae dies natalis non prior sit quam Cerinthi. Nam quod Gruppius et Teuffelius ardentiorem magis magisque et apertiorem illum amorem fieri affirmant, ego profecto non uideo, unde hoc hauriant; immo uero multo modestiora et submissiora sunt, quae Sulpicia c. 5 profert, quam quae c. 3 edidit. Sed quorsum haec tam multa de carminum ordine? Vt clare eluceat, quae carmina non ita inter se excipiant, ut certum et perspicuum in modum poeta progrediatur in explicando argumento, non ita, ut singula siue propter temporum rationem siue propter rerum dispositionem immutabili serie inter se connexa sint, ea carmina non certa compositionis lege, non singulari structurae arte contineri, leuia autem et fortuita esse praesertim in tam exiguo numero carminum externae symmetriae, quae uocatur, signa, quale est personarum alternis loquentium.

Verum ne in negando tantum uersemur neue omnia, quaecumque Gruppius in medium protulit, dedita opera impugnare uideamur, si quaeritur, quibus rebus commotus poeta haec carmina pepigisse putandus sit, id uerisimillimum esse fatemur, ex ipsius Sulpiciae epistoliis (IV, 7—12) tamquam ex fonte suo ita ea orta esse, ut Tibullus doctae illius et nobilis puellae in Messallae circulo secum uiuentis amicitiaque et Musarum studio sibi coniunctae lusus poeticos et nugas amatorias cum delectatione audierit et non sine comprobatione, sed cum sensu magis et ardore excellerent quam copia et arte, paucis ipse carminibus rem exornauerit uariasque illius amoris condiciones uberius tractauerit deprompțis partim canendi causis ex Sulpiciae carminibus, ut morbo puellae (11) et die natali (8 et 9). Hic subsistendum arbitramur; quod plus consilii poetae, plus congruentiae utrorumque carminum, plus significationis de uita ac moribus Sulpiciae et Cerinthi datae inuestigasse alii sibi uidentur, id ego caecior sum, quam ut uideam. Non uideo, ubi iuuenem suum timidum nimisque demissum Sulpicia esse significarit*; non uideo, unde obscuro illum quidem loco natum et pauperem, sed optimis artibus eruditum esse appareat**; non uideo, quo iure animum ingenua puella dignum intactamque castitatem ubique patere dicatur***; non uideo denique, cur Cerinthus ciuis Romanus, cur idem atque Cornutus (II, 2, 3), cur Sulpiciae cum eo consuetudo eiusmodi habenda sit, in qua iustas uterque nuptias spectauerit.

Petentis uirum partes agit Sulpicia, non petitae a uiro. Quid ergo? Sequiturne, ut adire puellam Cerinthus non audeat? At die et nocte eam conuenerat (8, 2. 12, 5); at iram eius excitauerat, quod formositate sua nimium fretus tam securus esse uidebatur de

---

* Gruppe p. 56. Teuffel p. 366.
** Gruppe p. 63. Teuffel p. 366.
*** Gruppe p. 45.

fide eius, ut ipse fidem uiolare ad humilemque meretricem deflectere auderet (10). Et haec cuiquam nimis uerecundi, haec parum audacis esse uidebuntur? Age uero quod eodem carmine Sulpicia, quam nobili genere orta sit quamque indigna, quae libertinae posthabeatur, cum superbia quadam commemorat, sequiturne, ut tenuioris alter sit ordinis? Dignitatem suam cum uulgaris scorti humilitate comparat, non cum Cerinthi ignobilitate; alio autem loco nullum eius ignobilitatis uestigium reperias — non magis quam paupertatis Cerinthi aut doctrinae. Nisi forte ita concludemus: docta dicitur Sulpicia 6, 2; eadem nulli uiro seruire dignior 6, 10; ergo uir ille et ipse doctus est. Nonne eadem concludendi ratione etiam diues et nobilis? Sed nihil eorum hic latet; corporis tantum uirtutes laudantur. Omnino in corporeis rebus, in formositate utriusque formosique alterius corporis appetentia, omnia posita sunt, nec quicquam aliud nec a Sulpicia ipsa nec a Tibullo nobis proponitur, quam quanta ui, quamuis obstent disciplina et mores, honestatis studium, poenae et infamiae timor, tamen superatis omnibus impedimentis abreptis animis talia corpora inter se coire cupiant. Testimonio est prima Tibulli elegia (IV, 2), qua praeter uenustatem puellae cultu curaque corporis auctam nihil celebratur. Nam quod Prienius extremis duobus distichis (Hanc uos, Pierides, festis cantate calendis, et testudinea Phoebe superbe lyra sq.) ad ingenium eius ingenuasque artes alludi censet, ego uereor, ne Pieridum et Apollinis nominibus in errorem abductus, si accuratius locum examinauerit, et propter ipsa horum uersuum uerba, in quibus nihil eiusmodi inest, et propter ea, quae praecedunt, sic debeat interpretari: hanc, quam modo descripsi, quia tam pulchra est, uos, Pierides et Apollo, cantate (non quia et uos et illa docti estis). Adde huc quae 4, 3 sqq. leguntur:

Crede mihi propera: nec te iam, Phoebe, pigebit
  formosae medicas applicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
  neu notet informis candida membra color —

et 6, 3 sqq.

Lota tibi est hodie, tibi se laetissima compsit,
  staret ut ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi causas tibi, diua, relegat:
  est tamen, occulte cui placuisse uelit. —

et 3, 7 sqq.

Quis furor est, quae mens, densos indagine colles
  claudentem teneras laedere uelle manus?
Quidue iuuat furtim latebras intrare ferarum
  candidaque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, ut tecum liceat, Cerinthe, uagari,
  ipsa ego per montes retia torta feram —
— — — — — — — — —
Tunc mihi, tunc placeant siluae, si, lux mea, tecum
  arguar ante ipsas concubuisse plagas:
tunc ueniat licet ad casses, illaesus abibit,
  ne Veneris cupidae gaudia turbet aper —

et 6, 11

Nec possit cupidos uigilans deprendere custos,
  fallendique uias mille ministret Amor.

Hos locos iudicio non praesumpto considera, quaeso; compara, quae Sulpicia de gaudiis suis et curis cc. 7. 10. 12 libere profitetur: habebis idem genus amoris et licentiae, absonum illud quidem a nostrorum temporum moribus, sed Romae tunc peruulgatum, quod Catullus, Propertius, Ouidius omnibus modis concelebrant, in eo solum ab his diuersum, quod femina in pulpita quasi prodit fabulamque agit, uir muta adstat persona aut post scenam latet. Valeant igitur Gruppii somnia de castitate et sanctitate rei; ualeat etiam illa de Cornuto coniectura, qua hunc ficto Cerinthi nomine appellatum esse eundemque Sulpiciam uxorem duxisse statuunt. Quibus tandem rebus nititur haec coniectura? Primum carm. 2 libri II multo breuius esse monent quam cetera eiusdem libri, pari autem longitudine et dicendi genere atque quarti libri elegias; tum illic non apte locum obtinere, quod quae contineat, aliena sint a proximis. Concedo; sed his causis id tantum efficitur, ut non certo consilio poetae illuc insertum uideatur; non efficitur, ut retractum sit e quarto libro. Nomen uero Cerinthi — quid obstat, quin uerum iuuenis amati habeamus? quin Graecus fuerit — aut omnino non fuerit, sed fictum sit cum homine nomen? Quid familiaritatis inter Cerinthi nomen et Cornuti intercedit? Idem est syllabarum numerus et tempus. Sed praeterquam quod haec causa nihil ualet, nisi aliae accedunt, doctum poetam uel poetriam Cornuti nomen Graeco mutantem Cerinthi nomen idcirco uitaturum fuisse puto, ne mendose nomen conuertisse, ne de κέρατι cogitasse immemorque fuisse uideretur corripiendae primae syllabae. Vnum restat, quod supra iam attigimus, quod tota quasi fabula amatoria optime concludi et expleri uidetur Sulpiciae et Cerinthi conubio. Quod quale sit ut recte intellegamus, in memoriam reuocari et ante oculos poni opus est haec. Erat Sulpicia, nobili genere puella et litteris erudita; amat Cornutum quendam; captat iuuenem, redamatur; nesciis parentibus saepius conueniunt, concumbunt etiam; haec uersibus mandat Sulpicia supposito pro Cornuto Cerinthi nomine; recitat uersus in Messallae domo; placent Tibullo; ipse rem uersibus persequitur; tandem nuptiae fiunt Sulpiciae et Cornuti — quid tum? igni profecto mandassent concremandos hos uersus, si res ita se haberet, nec quicquam antiquius habuissent Tibullus, Sulpicia, amici eorum, quam ut furtiuae illius consuetudinis memoria omnis deleretur, ne turpis stupri macula nouo inhaereret matrimonio. Aut communi sensu plane carebat Tibullus aut hoc non commisit, ut coniugibus tali condicione coniunctis primo mariti post nuptias die natali id carmen porrigeret, quod peccatorum suorum quasi epilogum illi haberent, quod, si casu totus ille libellus in uulgus proderetur, testimonio esset populo Sulpiciam, nobilem illam matronam, cum Veneris gaudia a Cerintho quodam sibi praebita caneret, non ficta poetarum more iactasse, sed tunc iam eum amplexam esse, cui nunc esset consors tori. Absit hoc inhumanitatis et impietatis crimen a Tibullo. Immo uero quia non erat Cornuti uxor Sulpicia, carmine elegiis suis Sulpicianis et longitudine et reliqua forma simillimo die natali Cornutum salutare ausus est. In eis autem hoc carmen numerandum est, quae sollemnis diei occasione data subito funduntur, ut amico officii beneuolentiaeque specimen offeratur, leue sane genus et cui exiguam plerumque operam auctores nauare soleant. Leuitatis quidem cuiusdam et incuriae est, quod aliunde non pauca huc transferre non dubitauit poeta. Compara enim

II. 2, 5 sqq. Ipse suos Genius adsit uisurus honores,
cui decorent sanctas mollia serta comas;
illius puro destillent tempora nardo,
atque satur libo sit madeatque mero —
3 urantur pia tura focis, urantur honores,
quos tener e terra diuite mittit Arabs —

21 hac ueniat Natalis aui prolemque ministret,
ludat et ante tuos turba nouella pedes —
cum I, 7, 29 sqq. Huc ades et Genium ludis Geniumque choreis
concelebra et multo tempora funde mero.
Illius et nitido stillent unguenta capillo
et capite et collo mollia serta gerat.
Sic uenias hodierne: tibi dem turis honores,
Liba et Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quae facta parentis
Augeat et circa stet, uenerande, senem.

Compara etiam:

II, 2, 1 sq. Dicamus bona uerba, uenit Natalis, ad aras:
quisquis ades, lingua, uir mulierque, fave —
cum II, 1, 1 sq. Quisquis ades, faueas: fruges lustramus et agros,
ritus ut a prisco traditus exstat auo —
et II, 15 sq. Nec tibi (malueris) gemmarum quidquid felicibus Indis
nascitur, eoi qua maris unda rubet —
cum IV, 2, 19 sq. (illa digna est quae possideat)
— quascumque niger rubro de litore conchas
proximus eois colligit Indus aquis.

Vides sollemnibus sententiis et usitatis dicendi formulis maiorem carminis partem compositam esse, ut non plus quam duobus locis noui aliquid aut singulare inuentum emineat (u. 11 sq. et u. 18). Voluit enim poeta non ingenium et artem ostentare, sed studium et uoluntatem erga amicum testificari. Ac si ipse collecta sua carmina foras edidisset, uix dubitauerim, quin uiliorem hanc chartulam intus fuerit retenturus. Nunc autem praematura mors interuenit; alius carmina emittenda curauit; qui quae superstitum pietas esse solet, ne hoc quidem minutum quasi ramentum abiecit, sed ubi apposite inter cetera collocaretur incertus, quod nec ad Deliam aut Messallam aut Marathum nec ad Nemesim aut Messalinum nec ad Sulpiciam et Cerinthum pertineret, tandem Cornuti nomine commotus ibi carmen interiecit, ubi hoc nomen rediit, ante II, 3.

His rebus expositis ut ad quartum librum redeamus, quamquam de eius laude multa detrahere conati sumus, tamen procul abest, ut lepide ibi et eleganter propositam rem amatoriam uariari infitiemur. Et hanc ipsam quidem uarietatem multiplicemque tractationis rationem maxime extollendam puto. Describitur Sulpiciae in publicum prodeuntis pulchritudo; queritur puella Cerinthum in uenando absentem periculisque obnoxium; consolatur poeta iuuenem de Sulpicia aegrotante suspensum animo; precatur die natali Cerinthi Sulpicia mutuum fidumque sibi iuuenis amorem — quam praeclara imaginum quasi mutatio! quam eximie noua semper proponuntur! Sed perueniamus ad extremum carmen. Ecce iterum dies natalis adest, non eiusdem ille quidem hominis, sed tamen dies natalis. Tantum uires poetam defecisse, ut nouum locum, nouam condicionem excogitare non posset? Non piguisse eum ad easdem deorum inuocationes recidere, ad eadem sacrificia describenda? At fortasse id ipsum egit, ut in eodem quasi uasculo nouum uinum apponeret? Quid quod hoc ita non exsecutus est, ut mutatis tantum uerbis sententiarumque ornamentis — ac saepius ne eis quidem mutatis — easdem proferat sententias, ut quae modo Sulpiciam profitentem, optantem, precantem fecit, ea nunc pro Sulpicia ipse profiteatur, optet, precetur? Agedum obseruemus singula.

Natalis Iuno, inquit poeta, sanctos cape turis aceruos,
quos tibi dat tenera docta puella manu —

Magne Geni, inquit Sulpicia, cape tura libens, quos tibi sancto die Cerinthus dat. Perperam enim Dissenius interpretatur: misit puella Genio tura et rogat eum, ut uotis faueat, quae ipsa faciat. Quasi vero Sulpicia dicere possit: uotis meis faueto, Geni, i. e. fac, ut ille me amet — nam haec summa est uotorum eius — si modo, cum de me cogitat, ille calet, i. e. si modo me amat. Verum ad id, quod coepimus, redeamus.

Poeta: Vritur (Sulp.), ut celeres urunt altaria flammae,
nec, liceat quamuis, sana fuisse uelit —
Sulpicia: Vror ego ante alias, iuuat hoc, Cerinthe, quod uror.

In uoce etiam urendi utrobique repetita assimulandi studium apparet. Eodem modo sanctus utroque carmine bis usurpatum: 6 sanctos aceruos (1), sancta, faue (7); 5 sanctus dies (1), sancte, relinque (12). Ac ut ne illa quidem comparatio arae ture calentis et animi amore calentis semel tantum instituatur, hic scriptum legimus: uritur ut flammae altaria urunt — illic: cape tura, si modo ille calet, quo quidem loco etsi non diserte uerbis exprimitur haec similitudo, tamen satis perspicue significatur. Nec minus in utroque carmine cum seruitio amor confertur:
6, 9 sq. — ulli non ille puellae
seruire aut cuiquam dignior illa uiro —
5, 4 sq. Te nascente nouum Parcae cecinere puellis seruitium. —
Accedunt alia mirificae imitationis exempla:
6, 8 poeta: iuueni, inquit, quaeso, mutua uincla para —
5, 7. 13 sqq. Sulpicia:
Mutuus adsit amor —
— uel seruiat aeque
uinctus uterque tibi, uel mea uincla leua,
sed potius ualida teneamur uterque catena. —
6, 19 sq. poeta: — ueniet cum proximus annus
hic idem uotis iam uetus adsit amor.
5, 16 Sulpicia: — nulla queat posthac nos soluisse dies.
Nota etiam repetitum illud adsit amor.
6, 15 sq. et 5, 18 sq. de occultanda re simillima occurrunt:
(6) Praecipiat natae mater studiosa quod optet:
illa aliud tacita, iam sua, mente rogat —
(5) Optat idem iuuenis, quod nos, sed tectius optat:
nam pudet haec illum dicere uerba palam.

Vnum superest, quod suum propriumque eleg. 6 habere uidetur; optat poeta, ne furtim congressi amantes deprehendantur in media uoluptate:
nec possit cupidos uigilans deprendere custos
fallendique uias mille ministret amor —
sed strictim certe quinta quoque elegia huius rei fit mentio, cum Sulpicia Cerinthum obtestatur per dulcissima furta. Quem locum Gruppius, ut in transitu hoc perstringam, sic explicandum censet (liceat autem ipsa germanica eius uerba afferre, ne quid eorum pereat in conuertendo): Es ist klar, wie man die dulcissima furta zu verstehen habe: vertraute, unbelauschte Zusammenkünfte, Küsse, Umarmungen, nichts mehr. Ingentem profecto risum

haec tanta simplicitas animi cieret, si lasciuioris illius aetatis calidiorisque solis homines haec explicantem audire possent philologum barbarum.

Vidimus, quae ratio intercederet inter haec duo carmina. Quid hoc esse dicamus? An nouum genus lepidi lusus, nouum artificium poetae, cui placuerit se ipsum imitari suaque recoquere, cum duo carmina fabricaretur non dissimiliora inter se quam ouum ouo? Non lepide ludentis hoc esset poetae, sed senescentis et languentis, ieiunitate quasi quadam ingenii et exilitate laborantis. Ac ne quis mihi obiciat, quae antea de II. 2 disputaui; aliud est officii, aliud artis gratia scribere, aliud est amicum subito et fortuito carmine salutare, aliud ingenii poeticaeque facultatis monumentum condere; aliud denique est sollemnes quasdam dicendi formulas repetere, aliud complurium carminum de eadem re uario argumento conscriptorum seriem ita finire, ut idem argumentum denuo recurrat. Quae cum ita sint, ut breuiter dicam, alteramutram elegiam a Tibullo profectam non esse persuasum habeo. Utram autem? Priorem, quintam elegiam.

Ego et ipse uersus feci satis multos domesticum in usum. Ne riseris, quicumque haec lecturus es, priusquam quo consilio hoc commemorem audieris. Ego enim quam multa nos uersificatores magis quam poetae a celebrioribus poetis et quorum carminibus maxime delectemur uel inuiti mutuari soleamus, ita in me ipso sum expertus, ut singulas sententias singulas phrases, quae dicuntur, singula uerba memoriae inde infixa sensim in nostra irrepere cum nostrisque coalescere, denique centonariae quoddam genus poesis effici probe sciam. Idem accidisse uidetur ei, qui hoc composuit carmen. Qui cum Tibullianae artis studiosissimus esset amator creberrimaque lectione carmina eius recoluisset, quam elegiam ad similitudinem extremae Sulpicianarum Tibulli expressit, eam laciniis quasi dictionis Tibullianae mirum in modum distinxit. Memoria tenebat I, 7, 1

Hunc cecinere diem (natalem Messallae) Parcae —

inductus est ut scriberet 5, 3

Te nascente nouum Parcae cecinere puellis
  seruitium —

Memoria tenebat II, 4, 1 sqq.

Hic mihi seruitium uideo dominamque paratam:
  iam mihi libertas illa paterna uale.
Seruitium sed triste datur, teneorque catenis,
  et nunquam misero uincla remittit Amor,
et seu quid merui, seu quid peccauimus, urit.
  Vror io: remoue, saeua puella, faces.

Hoc loco cogitationes eius ita directae sunt, ut cum de seruitio locutus esset (5, 4), statim transiret ad querelam de urendo: Vror ego ante alias — quod uror. Ceterum ex eodam quasi penu hausit quod infra legitur: Sed potius valida teneamur uterque catena.

Memoria tenebat I, 9, 80

Et geret in regno regna superba tuo —

scripsit 5, 11

— et dederunt regna superba tibi,

Memoria tenebat I, 5, 7 sq.

Parce tamen, per te furtiui foedera lecti,
  per Venerem quaeso compositumque caput —

scripsit 5, 7 sq.

Mutuus adsit amor, per te dulcissima furta
perque tuos oculos per Geniumque rogo —

nescio an non satis apposite, cum ceteris carminibus (2—6) ita rem instituerit poeta, ut dulcissima illa furta nondum Sulpiciae obtigisse videantur. — Memoria tenebat I, 6, 35

Te tenet, absentes alios suspirat amores —

et I, 3, 33

Quod si fatales iam nunc explevimus annos —

scripsit 5, 11

Quod si forte alios iam nunc suspirat amores —

Quanto aptius suspirandi uox illic usurpata sit facile intellegitur. Nec illud iam nunc accommodatum uidetur huic loco; quomodo enim iam infidus is dici potest, qui nondum fidus fuit? quomodo e uinculis iam effugiet is, qui nondum vinculis tenetur? Sed ut reliqua persequamur, memoria tenebat imitator II, 3, 64

Tu quoque deuotos, Bacche, relinque lacus —

scripsit 5, 12

Tunc precor infidos, sancte, relinque focos.

Denique memoria tenebat (ut hanc similitudinem omittam: I, 9, 63 illa nulla queat melius — 5, 16 nulla queat posthac) II, 1, 83

Vos celebrem cantate deum (Amorem) pecorique uocate
uoce: palam pecori, clam sibi quisque uocet,
Aut etiam sibi quisque palam: nam turba iocosa
obstrepit et Phrygio tibia curua sono —

Haec ita in suum usum conuertit 5, 17 sqq.

Optat idem iuuenis, quod nos, sed tectius optat:
nam pudet haec illum dicere uerba palam.
At tu, Natalis, quoniam deus omnia sentis,
adnue: quid refert, clamne palamne roget —

Ex hoc loco Gruppius nimis modestum esse Cerinthum collegit superarique a Sulpicia, quae ineptum tenerae aetatis pudorem iam deposuisset. Falso, opinor. Nam haec est loci sententia: quae ego, Sulpicia, quia sola nunc sum nec a quoquam audior, aperte opto, ea Cerinthus tecte optat, quia in cognatorum conuentu Genium adorat et palam rem faceret, si uerbis uotum conciperet.

Finem nunc facere possum disputandi; nam quae in eam me adduxerunt suspicionem, ut hoc carmen Tibullianum esse non putem, ea omnia fere exposui. Sed audio clamantes: quid tu, insulse, rem relinquis incohatam? itane nobis persuaderi posse putas, quae tot saecula tulerit, eam elegiam nunc proiciendam esse? Ubi sunt certa illa et manifesta fraudis atque adulterationis signa, metrica uitia, soloecismi exempla, absurdae sententiae? Nimirum plane absunt. Neque enim monachus quidam medii, quod dicitur, aeui, parum eruditus homo, animi temporisque fallendi causa hos uersus conflauit, sed aequalis Tibulli, usu et amicitia ei coniunctus, praeclarae indolis iuuenis et optime eruditus, qui tamen in inueniendis excogitandisque rebus nondum sibi confideret. Is siue exercitationis gratia siue uenerationis siue etiam per iocum et ludum eum, quem pro auctore studiorum suorum et magistro habebat, hoc modo imitatus est, quo modo perfectum poetam se ipsum unquam imitatum esse ego a me impetrare non possum ut credam. Nam quamquam alios quoque locos quarti libri uel sententia uel forma orationis cum priorum librorum locis aliquem

in modum conuenire non ignoro — et si ignorarem, ab A. Petersenio docerer, qui in libello de quarti libri Tibulliani elegidiis eorumque auctore conscripto* hos locos collegit et inter se commisit — tamen cum et numero et genere illa ualde differant ab eis, quae hoc carmine ad priorum similitudinem efficta uidemus, ea re confirmari potius mihi uidetur sententia mea quam refelli. Accedit, quod aut ineuntibus aut exeuntibus carminibus plurima eorum exstant, quae imitator huc traiecit (I, 7, 1. II, 4, 1. I, 9, 80. II, 1, 83). Aliena enim carmina hac lege memoria complecti solemus, ut initia maxime et exitus retineamus: quae ipsi commentati et meditati sumus, ea longe aliis rationibus aut haerent in memoria aut excidunt.

Sed iam satis multa de similitudinibus; restat, ut quaeramus, num in tanto imitandi studio sui tamen stili uestigia auctor deprehendi passus sit. Qua in re omitto, quam insolentem in modum dictum sit mutuus de nobis amor adsit, omitto quoniam particulam (19), quae cum saepissime a Propertio et Ouidio usurpetur, apud Tibullum nusquam occurrit (nam particulam eius loco adhibere solet): illud animaduertatur uelim, ad conformandae orationis quosdam modos uerborumque figuras ignoti illius poetae animum inclinasse, quae Tibullo aut omnino non sint in usu aut certe non ita, ut bis terue deinceps ea adhibeat. Hoc in numero est illud genus distincte pronominibus exprimendae relatiui, quod dicitur, membri et demonstratiui rationis, quod habemus 1 qui mihi dedit — hic mihi sanctus; 5 iuuat hoc-quod uror (cfr. 17 optat idem — quod nos). Deinde huc referendum, quod lusu apud Ouidium frequentissimo eadem uerba et primo et extremo uersus uel distichi loco posita sunt: 2. 3 te nascente — superba tibi — 5 Vror ego — quod uror — 17 Optat idem — tectius optat. Adde huc traducendi illud artificium uere Ouidianum, quod in eo positum est, ut poeta uocabulo mutata forma ex proximo uersu excepto nouum ordiatur uersum: 6. 7 mutuus ignis adest — mutuus adsit amor — 8. 9 Geniumque rogo — magne Geni. Hac tanta figurarum copia, hoc uerbis ludendi studio aliisque rebus factum est, ut totum carmen aliam speciem praebeat ac Tibulliana: discissa magis, ut ita dicam, et articulatim comminuta oratio; maior ac prope nimius particularum et pronominum numerus; tota fere uis carminis in uerbis uerborumque complexione posita, non in rebus, quae ante oculos ponuntur; nusquam formosum corpus ita repraesentatum ut in ceteris huius libri elegiis omnibus (cfr. ea, quae supra de hac re disputata sunt p. 4); Sulpicia non tam commoto animo uota fundens, quam dialectica ratione exponens, quid fieri cupiat; denique totum carmen, si solum per se consideraris, facetum, concinnum, expolitum; si cum ceteris comparaueris, dispar et alienum.

* Programm des Gymnasiums zu Glückstadt 1849.

II.

Rede des Herrn Geheimen Rathes Dr. Gilbert

bei

Eröffnung des neu begründeten Königl. Gymnasiums zu Dresden-Neustadt.*

Hochansehnliche Versammlung! Theure und verehrte Lehrer! Geliebte Schüler!

Ein lange schon und oft kund gegebener Wunsch, ein längst und tief gefühltes Bedürfniss erhalten heute endlich ihre Erfüllung und Befriedigung. Unsere schöne und viel gepriesene und viel begehrte Stadt empfängt ein neues Gymnasium, das erste in ihrer Mitte, welches Gründung und Anstalt des Staates ist. Die ersten Bemühungen und Arbeiten im Schoosse der Regierung, dem dringenden Bedürfnisse gerecht zu werden, liegen fast ein volles Jahrzehnd zurück; doch zweimal verfinsterte sich seitdem der Himmel, das eine Mal über unserem theuren engeren Vaterlande und besonders auch über dieser blühenden, an Wachsthum reichen Stadt, das andere Mal über unserem ganzen grossen deutschen Vaterlande, über allen seinen Stämmen und Staaten und in Mitleidenheit mit ihnen fast über der ganzen civilisirten Welt und hielt die Ausführung auf. Aber wunderbar und des lauten Dankens und Preisens würdig zugleich, wie so Vieles in unserer gewaltigen, an ungeahnten Ueberraschungen reichen Zeit! Was sonst die Geistesarbeit zu lähmen, das Bildungsbedürfniss zu hemmen, die Mittel dazu zu verschlingen, das Wachsthum der Staaten und Städte auf lange Jahre hinaus zu untergraben pflegt, das Geklirr der Waffen, der Schlachtendonner und die Furie des Kriegs, das hat der Entwickelung, das hat der Geistesarbeit, das hat dem Bildungstriebe und dem Bildungsbedürfnisse neue unerwartete Wege gebahnt. Das hat auch die Gründung der Anstalt gefördert, welche heute vollendet vor uns steht. Und wir sind hier versammelt, sie ihrer hohen Bestimmung zu übergeben, sie dazu einzuweihn.

Treten wir noch einmal im Geiste vor die Eingangspforte, über welcher als Inschrift zu lesen ist:

„*Gymnasium regium, doctrinae, virtuti, pietati sacrum*“

und nehmen wir die drei Weiheworte „*doctrinae, virtuti, pietati*“ in das innerste Heiligthum mit; sie deuten die hehre Aufgabe auch dieser Bildungsstätte nach ihren tiefsten Beziehungen an. Versuchen wir mit einigen anschaulichen Pinselstrichen dies darzuthun. Wir setzen aber nach einer inneren, selbst sprachlichen Berechtigung dafür die deutschen Worte:

W i s s e n s c h a f t, V a t e r l a n d, R e l i g i o n,

und sagen mit dem Lieblingssänger unseres Volkes und ganz besonders unserer Jugend:

---

* Obiger Vortrag, auf geschehenes Ansuchen zur Veröffentlichung in dem ersten Programme der Anstalt freundlichst überlassen, ist inzwischen in des Herrn Verfassers „Reden bei Schulfeierlichkeiten“ (Leipzig, B. G. Teubner, 1874) in Druck erschienen. Die geehrte Verlagsbuchhandlung hat die Güte gehabt, den Wiederabdruck zu gestatten.